



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiæ Augustæ Scriptores VI**

Ælius Spartianus. Vulc. Gallicanus. Julius Capitolinus. Trebell. Pollio. Ælius  
Lampridius. Flavius Vopiscus

**Spartianus, Aelius**

**Lugduni Batavorum, 1671**

De his Qui Post Gordianum Tertium Principes Fuerunt Ad Valerianum  
Usque.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51232)

pienum dictum nomine suo, cognomine vero paterno Maximum, ut omnium stupore legentibus aboliti videantur.

SALMASIUS.

6 *Sed Fortunatiano credamus.*] Hæc ad finem usque non comparent in optimo librorum Palatino. sed nec vetus editio, quæ omnium prima horum auctorum exiit, volam aut vestigium illorum habet. an spuria sint, aliis pronunciandum relinquo.

GRUTERUS.

6 *Sed Fortunatiano, &c.*] Neque periodi hujus littera una in Palatino.

CASAUBONUS.

1 *Ut omnium stupore legentibus aboliti videantur.*] Legendum, ut ad librum de Maximinis emendabamus: ut omni jam stupore legentes hæc absoluti videantur.

DE IIS QUI POST  
GORDIANUM TERTIUM  
PRINCIPES FUERUNT  
A D  
VALERIANUM USQUE.

CASAUBONUS.

**G**ORDIANO tertio non Valerianus successit, sed Philippi duo; de quibus & aliis item pluribus, qui ante Valerianum imperarunt, non dubium est, quin & Spartianus & Capitolinus & Lampridius, atque omnino quicumque alii è veteribus historiam Augustam stilo persecuti sunt, in libris suis abunde egissent. Quid causæ sit cur hodie in isto Cæsareæ historiæ corpore pars hæc desideretur, difficile dictu est. Scimus tamen, non hodie atque heri, sed ante aliquot secula, factam esse hanc jacturam: imo fortasse nihil esse amissum, neque eorum quicquam periisse, quæ in hoc corpus sunt ab iis conjecta, qui illud olim ex diversis scripto-

ribus concinnarunt. Nam & membranæ veteres, cum regiarum bibliothecæ, tum illæ quibus olim in Italia usus V. C. Claudius Puteanus, & Robertus quoque Bononiensis in Epitoma quam fecit horum librorum, defectum hunc agnoscunt. Suspiciari licet, quia Philipporum res, & cæterorum, qui in hac collectione silentur, Deciorum rebus erant permixtæ, quos hostes ævissimos ecclesia Dei quondam est experta; compositorem hujus corporis pietatis Christianæ fervore impulsam, in Deciorum odium, præoptasse principes aliquot, minutos præsertim & parum memorabiles, silentio transmittere, potius quam vel Capitolinum, vel Spartianum,

vel

vel Lampridium aut quenquam alium describeret, qui omnes istos minorum gentium imperatores, uno libro fuerat complexus: Nemo dubitat similem ob causam factum esse, ut in tanta hodie temporum Diocletiani ignoratione versetur: amissis omnibus historicis, qui principis illius pessimi quidem, sed tamen maximi, gesta uberius narrarent. Extat & apud Robertum, & in antiquis membranarum historiae quae hoc loco deficit, supplementum aliquod; sed fere Eutropii verbis, quae huc attulisse nullum fuerit operae pretium. Nos vero eorum loco, omnium nomina infra subiecimus, quos post excessum Gordiani tertii, ante Valerianum, factos fuisse Augustos vel Caesares, ex veterum lectione comperimus. Est autem spatium temporis à Gordiani III. morte ad initium Valeriani, non magnum: annorum circiter novem, vel ad summum decem. Anno enim ante millesimum ab V. C. tertio, patrata Gordiani caedes: Valeriano autem delatum imperium est anno sexto post natalem Urbis millesimum. hoc tam brevi tempore nacti imperium, eodemque spoliati sunt isti.

I. IMP. CÆS. MARCUS AVG. Narrat Zonaras, patres cum de morte Gordiani III. cognovissent, usos jure suo, & Marcum quendam, haut dubie senatorem, sapientiae & philosophiae deditum, imperatorem creasse: qui mox in Palatio morbo absumtus.

II. IMP. CÆS. SEVERVS HOSTILIANVS AVG. Marco extincto, eorumdem patrum suffragiis hic

successit: qui morbo statim correptus, post missum sanguinem, fati concessit. Zonaræ uni memoriam imperii sui debent hi duo principes. meminit utriusque etiam Cedrenus: sed corrupte & non sine vano. Marcum enim tres annos ait imperasse: huic successisse ΙΟΥΣΤΙΑΙΑΝΟΝ: (nam ita scribitur apud illum:) & imperium annos duos obtinuisse. Diverfus hic Hostilianus ab illis duobus, de quibus infra in Deciis sumus dicturi.

III. IMP. CÆS. M. JULIVS PHILIPPVS AVG. Hic filium suum assumpsit in consortium, ut ait Aurelius Victor: & Zonaras, *κρίνων & βασιλέας ἐποίησεν*: Zosimus tamen Cæsarem solum factum scribit. Nominatur filius apud Victorem alterum in historia miscella, CAIVS JULIVS SATVRNINVS PHILIPPVS. postquam vero illum pater potentiae sociavit, dictus est iisdem cum patre suo nominibus: quod multi docent nummi, ut iste apud historiae patrem Onuphrium:

IV. M. JULIVS. PHILIPPVS. CÆSAR. AVG. F. COS. PRINC. JUVENTVT. vulgo autem appellatus est Philippus junior. unde ille quorundam Græcorum error manavit, qui cognomen id Philippi fuisse, & quidem patris existimarunt. Lege in Siculis Fastis: *Ρωμαίων καὶ βασιλέων Φιλίππου ἀπὸ τῆς Ἰωνίας, ἢ ἀπὸ τῆς Ἰωνίας ἀπὸ τῆς Ἰωνίας*, sive (Ιωνίας) ἀπὸ τῆς Ἰωνίας, & ne errorem scribæ existimes, in anno quarto ejus imperii notantur hæc: *Ὁ βασιλεὺς Φιλίππου ἀπὸ τῆς Ἰωνίας ἀπὸ τῆς Ἰωνίας ἀριθμὸν συνεισησὼς τῶν λεγεωνῶν Κανδιδάτων, ἐπίκουρον*

ἐπιόσαντες, κατ' ἐπιλογὴν νεανίσκους  
 ἀνδρας ἀπὸ τῶν γολλῶν. καλεῖσάντες  
 τὴν γολλῶν ἔπαρξον αὐτῶν συζύγους  
 τὴν γολλῶν εἰς τὸ ἐπώνυμον Φιλίπ-  
 πος ἔπαρξος, Ἰουλιῶν. ἔπει οἱ τὸ ζ  
 γολλῶν. Annos potentiae quinque  
 egerunt, ut scribit Aurelius Vi-  
 ctor; ut alii, sex. Celebratur in  
 multis nummis antiquis MAR-  
 CIA OTACILIA SEVERA AVGV-  
 STA Philippi senioris uxor. hanc  
 religionis Christianae sacris im-  
 butam fuisse plerique autumant.  
 quae res effecisse videtur, ut Phi-  
 lippum quoque uxoris gratia æ-  
 quiolem piis, palam Christiani-  
 num fuisse Eusebius alique mul-  
 ti scripserint. Assentior vero do-  
 ctissimis viris, qui putant cum  
 Zonara, duos Philippos, hunc  
 nempe Augustum, & alterum  
 praefectum Augustalem, Eugeniae  
 martyris patrem ab antiquis re-  
 rum ecclesiasticarum scriptori-  
 bus Graecis fuisse confusos. Sed  
 quod disputant iidem, errori oc-  
 casionem inde natam, quod im-  
 perator quidem Σεβαστός, praefe-  
 ctus vero Augustalis Σεβασμίου  
 diceretur; sine ullo dubio fallun-  
 tur. Nam praefectum Augustale-  
 m nemo unquam Graecorum  
 appellavit, Σεβασμίου, sed Αὐγύστου  
 semper, vel Αὐγύστου, aut Σεβαστοῦ,  
 vel Σεβαστοῦ. Σεβασμίου vero Grae-  
 ce periti non magis illum nomi-  
 naverint, quam Σεβαστόν. Sed non  
 ceperunt eruditissimi viri Zonaræ  
 mentem; qui ex eo scribit or-  
 tum errorem hunc nonnullor-  
 um, quod utrumque apud au-  
 ctiores nominatum ἐπαρξον offen-  
 dissent: ipsi autem nescirent, aut  
 non meminissent, alterum τῶν δα-  
 ρυφορικῶν, alterum τῶν Αἰγυπτίων fuisse  
 ἐπαρξον. hæc in us verborum

Zonaræ. Sed pergamus.

V. IMP. CÆSAR JOTAPIANVS  
 AVG. Hic Philippi temporibus  
 imperium in Oriente occupavit:  
 sed statim oppressus, cum impe-  
 rio vitam simul amisit. auctor  
 Zosimus: apud quem scriben-  
 dum cum manu exaratis codici-  
 bus, τῶν Ἰωταπιανῶν παρήλασον ἐς τὴν  
 τῶν ἄλλων ἀρχῶν. & μοχ, τῶν Ἰωταπιανῶν.  
 non autem Παπιανῶν & Παπιανῶν.  
 Aurelius enim Victor lectionem  
 scriptam firmat: etsi non sub  
 Decio hujus Ἰωταπιανῶν ille nar-  
 rat. Ait autem, caput ejus occisi  
 ad Decium Romam fuisse dela-  
 tum, his quidem verbis: *Interea  
 ad eum Jotapiani, qui Alexandri-  
 tumens stirpe per Syriam tentans  
 nova, militum arbitrio occubuerat,  
 ora, uti mos est, arbitrio feruntur.*

VI. IMP. CÆS. MARINVS  
 AVG. Eodem tempore quo Jo-  
 tapanus in Syria, Marinus in  
 Pannonia vel Mœsia à legionibus  
 praesidiariis salutatus est impera-  
 tor, nec multo post trucidatus,  
 ut narrant Zosimus & Zonaras.  
 alibi mentionem hujus fieri non  
 inuenio: & miror quo auctore  
 appelletur nonnullis PVBIVS  
 CARVILIVS MARINVS.

VII. IMP. CÆS. MESSIVS  
 QVINTVS TRAJANVS DECIVS  
 AVG. His nominibus appellatus  
 est Decius pater, qui in Illyrico  
 suffragiis militum nactus impe-  
 rium, Philippum mox ad Vero-  
 nam devicit. Constat ibidem  
 periisse patrem Philippum, filium  
 autem Romæ. Scribit tamen Si-  
 culorum Factorum auctor, nescio  
 quem secutus: Φίλιππος ὁ ἰσχυρῶς,  
 (is est senior Philippus,) πολλὰς  
 ἀντιβαλὼν πολέμους ἀπὸ τῶν ἐπιπέδων.  
 εἰς αἰς

ἢ ὡς πολεμῆ τοῖς Γήπειον, ἐκονδύ-  
λησεν ὁ ἴσπ⊙ αὐτῆ. ἢ συμπεσὼν  
αὐτῷ μηροθλασ⊙ ἐχθρῆ. ἢ ἐλθὼν  
ἐν τῇ Ρώμῃ ἐξ αὐτῆ ἔκλασμα⊙  
(vel θλάσμα⊙) πλοῦτᾶ, ἀν' ἐπιπῶ-  
ν μί. Imperaverunt cum Decio.

VIII. IMP. CÆS. Q. HEREN-  
NIUS ETRUSCVS MESSIVS DE-  
CIYS AVG. DECII AVG. F. &  
item alter quidam, sive gener De-  
cii, ut conjicit Onufrius, sive ali-  
qua cognatione eum tangens:  
cujus nomina è nummis & lapi-  
dum inscriptionibus, proferun-  
tur hæc ab eodem,

IX. IMP. CÆS. C. VALENS  
HOSTILIANVS MESSIVS AVG.  
nos de hoc neque apud Græcos,  
neque apud Latinos historicos  
quicquam offendimus. Fuere  
vero imperante Decio qui rap-  
tum irent imperium aliquot è  
ducibus: ut duo hi, quorum Au-  
relius Victor meminit:

X. IMP. CÆS. LVCIVS PRI-  
SCVS AVG. nam huic Macedonas  
præfidatu regenti delata est do-  
minatio: &

XI. IMP. CÆS, IVLIVS VA-  
LENS LICINIANVS AVG. qui cu-  
pientissimo vulgo imperium ce-  
pit. Priscum Philippi Imp. fra-  
trem inter illorum temporum  
præcipuos duces memorat Zofi-  
mus. an autem hic ille sit de quo  
Victor loquitur, nescio. Valens  
vero iste omnino alius est ab illo  
quem modo commemoravimus.  
LICINIANI cognomen ex altero  
Victore addidimus: Trebellius  
Pollio inter suos xxx. tyrannos  
hunc recenset XIX. Decium, Si-  
culi Fasti in expeditione contra  
Francos, nescio ubi locorum  
ἐν Ἀβυρπῶν scribunt periisse, aliter

quam Zosimus & cæteri. qua de  
re apud Georgium Monachum  
ex historia Dexippi leguntur hæc:  
Σκύδαυ παλαιωθέντες οἱ λεγόμενοι  
Γότθοι τ' Ἴσρον ποταμὸν ἐπὶ Δεκίῳ  
πλεύσαντες τ' Ῥωμαίων ἐπικρατείας  
κατενέμοντο. ἔπει τῆς Μυσηῶς Φύ-  
ρῆς ἐς Νικηπόλιν ἀπέειχον. Δέ-  
κι⊙ δ' ἐπελθὼν αὐτοῖς, ὡς Δέξιπ-  
π⊙ ἴσπερ, ἢ τειρομευεῖς κτείννας  
ἐλατῆσται κτ' τὴν μάχην, ὡς ἢ  
τὴν Φιλίπποπολιν ἀπολέσται, ληφθεῖ-  
σαν ἰσ' αὐτῶν, ἢ πολλὰς ἀναιρε-  
θῶσται ἐπαυεῖσσι ἢ Σκύδαυς ἐπὶ τῷ  
σφέπερ ὁ αὐτῆς Δέκι⊙ ἐπιθέμεντο  
ἀναιρεῖσται, ἐν Ἀβυρπῶν τῶν λεγομένων  
Φόρων Θεμεραωνίῳ, σὺν τῶν παιδί.  
ita scribuntur hæc in vetustissimo  
codice regie bibliothecæ. ad ri-  
pam Tanais fuisse hæc loca indi-  
cat Zosimus. Decio successit Gal-  
lus cum filio: quorum nomina  
sunt:

XII. IMP. CÆS. C. VIBIVS  
TREBONIANVS GALLVS AVG. &

XIII. IMP. VIBIVS VOLV-  
SIANVS AVG. GALLI AVG. F.  
Tertius his adjicitur ab utroque  
Victore,

XIV. IMP. CÆS. HOSTILIA-  
NVS PERPENNA AVG. cui dela-  
tum à senatu imperium Victores  
ambo scribunt. magno errore  
conturbat hæc nomina Eutro-  
pius, cujus sunt verba: *Mox im-  
peratori creati sunt GALLVS HO-  
STILIANVS & Galli filius VO-  
LVSIANVS.* sed suspicor voculam  
excidisse jam olim, cum scripsis-  
set Eutropius, *Gallus Hostilianus-  
que: quomodo Aurelius Victor:  
patres Gallo Hostilianoque augustæ  
imperia decernunt.* Ut non aliter  
Eutropium scripsisse putem, mo-  
veor hoc argumento: quod Pau-  
lus Diaconus, & alii è recentiori-

bus chronologis multi, qui fere Eutropium describere solent, errorem hunc non errarunt. Auctor quidem historiae Miscellae hoc loco scribit: *Mox exercitus imperatores creavit Vibium Gallum, & filium Galli Volusianum. Horum temporibus Hostilianus Perperna, à senatu imperator creatus, nec multum post pestilentia consumtus est.* Pæanium qui mendam agnoscit non moramur: vitiosissimis enim libris constat esse usum. hujus sane mendae vetustas, si quidem menda est, colligi potest ex Orosio, quem corruptam lectionem secutum esse dubitari non potest. His imperantibus & Romæ morantibus,

XV. IMP. CÆS. C. JULIUS ÆMILIANVS. AVG. à Mœsiacis legionibus creatus: qui occisis per suos Gallo & Volusiano, tres menses usus modeste imperio, morbo absumptus, vacuum VALERIANO

locum reliquit. Tot Augustos vel Cæsares inter Gordianum III. & Valerianum interjectos invenimus. Sed tantis tenebris omnis hæc historia involuta est, ut difficile sit aliquam ejus partem in qua veteres scriptores inter se consentiant. Nam verbi gratia, Gallum alii imperasse scripserunt annos duos, alii tres: cum tamen Dexippus qui illis temporibus vivebat, menses solum XVIII. ei tribuat Georgius monachus: *πρῶτον βασιλέα ποιήσαντες πνα ἔθρον ὑπὸ τὸν Γάλλον ἀναγερούμενοι, ἀμφοῖν βασιλευσάντων τὸν Δεκιπὸν παῖδι.* (mirum hoc: sed tamen inferius idem repetitur ab eo scriptore: *οἱ καὶ βασιλεύουσι καὶ Δέξιππον μῆνας ἑξή, πρῶτοντες ἑδὲν ἀξιόλογοι. καὶ δὲ ἄλλους ἑτάς ἑτη γ'. καὶ καὶ ἑτάς ἑτη β'.* Similis sententiarum varietas in plerisque omnibus: de quibus plura differendi non est hic locus. Jam enim ad pensum nostrum nobis redeundum.